

Merulanae disputationes

sive epistolia quae anno 1999. ad gregem interretialem Latine loquentium de bello Merulano, quod tum gerebatur, missa sunt

24/3/99 – Dennis M. Wood

Si civis Britannicus non essem patriaeque deditus, sed Diaboli quidam advocatus, haec hodie percontarer quae me ipsum pudet rogare...

I. Quo iure mehercule Americani, Britanni, alii bellum in Illyrico apparant (quod iam gerunt in Mesopotamia)? Certumne adeo est vi et armis res in melius mutandum iri? Cur non et Seres e finibus Tibeturum ab eis extemplo pellendi sunt, si vero omnes iniuriae orbis terrarum nunc vi sunt emendandae? Et quis de Terris quae dicuntur Sacris iudicare auderet?

II. Cur eodem quidem tempore Europaeorum amici et socii e Civitatibus Confoederatis Americae rerum domesticarum curam publicarumque opum rationem in Europa turbare volunt ob venalibus arieris (“ariera” = hodie “banana” apud Plinium maiorem, quamquam nonnulli olim “ariena” legebant) bubulamque carnem sex hormonis (ut aiunt) in America fere farctam?

Quae si rogaret advacatus iste, perperamne res intellexisset? Valete.

24/3/99 – Christopher M. Brunelle

quaesivit non Diaboli advacatus sed civis Britannicus Dionysius noster quo iure bellum iam illatum in Illyricum sit, num vis atque arma res emendare in melius possint, cur tales irruptiones non in alias aequa lege fiant. quibus quaesitis respondeo me nescire, plane dubitare, suspicari.

post autem tot tantosque labores ad pacem fovendam, civibus immo simpliciter hominibus in dies trucidatis insolitus, quid aliud, quid novi agendum est? Americanae, cuius nomen non mi venit in mentem, certe consentio feminae quae dixit “viciesse bello non magis potest fieri quam viciesse terrae motu”: sed quid agamus de illis qui ipso tempore vincantur, depellantur, interficiantur?

roganti rogans respondi. si quid certius in buccam venerit, dicam. valete.

24/3/99 – Roberto Haab

Sunt bella nonnumquam iusta. An bellum Illyricum tale sit, nescio. Certe autem nec decore pugnant nec gloriae militari maiorum sufficiunt qui tutis ex navibus procul periculis tela longissimo tractu mittunt nec viriliter et audenter comminus pugnando contra hostem eunt.

24/3/99 – Steven A. Gustafson

Si in bellis aliorum implicemur, aut in Illyria aut alibi, puto hoc nobis faciendum: colonos mittamus, aborigines ad reservationes deportemus, et novam terram Anglice loquentem faciamus, ubi et fora mercatoria et televisio florent. Discemus nativos carros ferculos agere, pileos ludi pilarum clavarumque gerere, et vocalibus lantis extensisque loqui. Priscum foetorem coquinarium pellemus; bubulam concissam secundum McDonald et gallinas Coronelis manducent. Factones Republicanas Democraticasque importemus, et tandem ad rem publicam nostram adjungentur.

Visus coloniae certamines nationum ubique metu dissuadeat. Pactum faciamus, pacem faciamus, ne adveniant Americani!

25/3/99 – Vittorio Ciarrocchi

I. Eo iure generali utuntur [Americanis], quo necesse est omnes populi legibus obstringantur etiam in quas non assenserint. Cum Serborum et Albanensium Kossovanorum partibus penitus infixum sit odium inveteratum, cumque – si nuntiis fides est tribuenda! – a Serbis gentes Albanenses Kossovum incolentes possessionibus pellantur, vexentur, trucidetur, cumque denique nemini vel privato civi vel cuiusvis populi moderatoribus barbariem in alios cives perpetrare liceat, sequitur ut legitime Americani aliquie vi atque armis huic barbariei finem ponere contendant. Utrum res “in melius” mutentur necne, est quaestio, cuius solutio ex Americanis praecipue pendebit. Qui quidem ad cladem adducentur, si ut in Vietnamia bellum gesserint.

II. Ad tertium rogatum, hunc in modum responderi potest: A) iniuriaem emendantur ubi et quando emendari possunt et quotiens est aliqua emendatoris utilitas: hoc sane multis hominibus displicet, sed haec perpetua est lex historiae; B) iniuriaem non verbis, sed factis emendantur, id est saepe bella vincendo, quae gesta sint cum graviora iniusta patrantibus. Sed alia est causa, quae – amotis opinionibus praeiudicatis, quae in mentes quorundam his de rebus disputantium interdum irrepere solent – legitimum reddit illud Americanorum aliorumque inceptum. Exstat enim et ius speciale, cuius pactis et conventis iunguntur quaedam nationes, quae consociationem litteris compendiariis N.A.T.O. appellatam constituerunt. Si huic consociationi praepositi, quorum est illarum nationum utilitati providere, censem ut pacta serventur ad populos iniuste oppressos spectantia, exque iis pactis bellum non excludatur, quin immo certis occasionibus datis id extrema sit ratio ad maiora mala vitanda, sequitur ut bellum – quoad ius speciale – legitime concitetur.

III. Si praeterea “vim vi repellere licet” est dictum, cuius rationi nemo adhuc potuit validis argumentis refragari, nulla est causa cur Americani eorumque socii nequeant “vi et armis” contra eos pugnare, qui – iterum si omnibus actis diurnis fides est tribuenda! – “vi et armis” inermes vel paene inermes homines depellunt occiduntque.

IV. Si denique gravia quae posuisti rogata ad eum timorem pertinent, qui omnes viros honestos atque humanitate praeditos tenet anxios quotiens bella conflantur, te haec percontantem intellego laudoque. Cum tamen quaedam nuper “de oblivione” optime subtiliterque scripseris, liceat mihi mentionem facere de Anglico administro Arcturo N. Chamberlain, qui, cum tantum de pace omnimodis servanda cogitaret ageretque, nihil fecit nisi Hitlero favit: ne oblivio historiae ad eam pacem optandam nos inducat, quae adversus alios populos inermes impuneque lacessitos re vera bellum sit tectum, quod omnium bellorum est taeterimum. Valete omnes.

25/3/99 – Steven A. Gustafson

Prudentia nostra a patribus Americanis tradita est discedere a certaminibus extraneis, vel Europaeis vel aliis. Nisi terra Americana invadetur, pugna non nostra. Quandoque ab more hoc deseruimus, in proeliis interminatis et inextricabilibus impediti sumus.

Ars legati non virtus militis. An telus sit, “cape collem a hostibus, et tene,” novit miles successum a defectu, et opinio militis de fortuna successus vel non toto animo attendenda est. At possit miles monstrare inimicis veteribus semitam pacis? an sit comes stabuli locus idoneus militi? In tali legatione victoria certa abest; haud facile cernere victoram a repulsa.

Non in toto jocor, igitur, coloniam novam in Illyria injiciente; taliter saltem pacem cogemus. Idem non faciemus; sed multa bomba jaciemus, et paulo postea discedemus, et nihil perfecerimus, nisi novum hostem. An sint Serbi tanti diaboli? pervincamus eos: aut pervincamus, aboleamus regnum Serborum, aut immo discedamus.

25/3/99 – Alessandro Emilio

Victorius Ciarrocchi: *I. Eo iure generali utuntur, quo necesse est omnes populi legibus obstringantur etiam in quas non assenserint.*

Sed, Victori optime, minime mihi persuadet argumentum hoc tuum, cum mihi in mentem veniant verba Dionysii, quibus adsentior: *Cur non et Seres e finibus Tibeturum ab eis extemplo pellendi sunt, si vero omnes iniuriae orbis terrarum nunc vi sunt emendanda? Et quis de Terris quae dicuntur Sacris iudicare auderet?*

Sed fortasse, Victori, sapienter huic dubio responsum ipse dedisti his verbis: *iniuriae emendantur ubi et quando emendari possunt et quotiens est aliqua emendatoris utilitas.*

O terribilem veritatem! Sed quomodo, quaeso, cum sic sint res, dicere poterimus iniurias emendatum iri? Timendum est ergo ne iniuriae emendentur aliis iniuriis...

Quod ad arma attinet, numquam demonstrari poterit eorum utilitas. VIM VI REPELLERE, VIS IPSA EST. In mentem denique venit quod Christopher noster scripsit: *civibus immo simpliciter hominibus in dies trucidatis insontibus, quid aliud, quid novi agendum est?*

Nemo dubitari potest quin “morbus” Illyricus gravissimus esset, sed ad morbum curandum nonne cogitandum est utrum cura terribilior sit quam morbus? Arma pessimum sunt remedium. Cum nemo sciat quo modo res se agere possint proximis diebus, cumque timor sit ne bellum ingravescat, una est certitudo: alios homines necatum iri, pacem in periculo esse; sed dubium manet (sicut omnes consentiunt!) ne Illyricae iniuriae nullo modo emendentur...

Mihi tempus non est, sed multa dici possent de arguento hoc tam gravi. Utinam pacem colamus pacemque semper foveamus!

25/3/99 – Marc Moskowitz

Gubernatores nationum, qui inter se disputant, non in alios gubernatores bellum gerunt, sed in nationes eorum. Vae! Populus Americanus non populum Serbicum odit, sed nunc Americani et Serbici nos interficimus. Utinam pax floreat!

25/3/99 – Stephen Berard

Stephanus Marco.

Qui sunt “nos”? Ubi tu sis mihi excidit. Esne Illyricus? (Quamobrem ignoscas mihi quaeso. Complures enim sunt sodales.)

25/3/99 – Marc Moskowitz

Marcus Stephano.

Nos sumus Americani (Americanus sum) Illyricique, qui nunc inviti proeliamus.

25/3/99 – Stephen Berard

Gratias, Marce humanissime, ob explanationem tuam. Mihi propter ellipses dictum tuum non liquebat. Nunc autem intellego – atque tibi omnino assentior. Ut uerba tua priora aliquantulum expleam: (Gubernatores) Americani et Serbici nos (hoc est, Illyricos milites civesque necnon et milites Americanos per milites suos interficiunt, quapropter dici potest nos nosmetipsos quodam modo interficere, ergo:) interficimus.

25/3/99 – Steinar Midtskogen

Dennis Wood: *I. Quo iure mehercule Americani, Britanni, alii bellum in Illyrico apparant (quod iam gerunt in Mesopotamia)?*

iure haut iustiori, mea quidem sententia, iure quo NATO bellum in protestantes Hiberniae Septentrionalis uel in Israeles faceret; ad extreum, quid interest? sit in Illyria aliiquid faciendum, at hoccine est faciendum *NATONi*? miror... nulla terra NATONiana adhuc oppugnata est, nullo ergo modo NATONem decet intercedere.

res, ut nunc stant, mihi non placent. Noruegia nullo bello ex anno 1945 illigata erat, id est usque ad diem hesternum. adhuc pauca de statu Illyrico opinatus sum, sed nunc pars mihi electa est idque me inuito – nullius partis esse non diutius possum, quia et tributum do et miles NATONianus conscriptus sum. ualete.

26/3/99 – Vittorio Ciarrocchi

Steven A. Gustafson: *Prudentia nostra a patribus Americanis tradita est discedere a certaminibus extraneis, vel Europaeis vel aliis. Nisi terra Americana invadetur, pugna non nostra. Quandoque ab more hoc deseruimus, in proeliis interminatis et inextricabilibus impediti sumus.*

In “proeliis interminatis et inextricabilibus” impediti fuistis non quod ab illo more interdum Patres Vestri discesserunt, sed quia bella quaedam ita ii gesserunt, ut nil impediverit quominus cladibus afficerentur. Nam post prius praesertimque alterum bellum mundanum, quibus America se implicuerat, fortiores Vos evasistis. At non eodem modo prosperi Vobis fuere aliorum bellorum exitus – ut in Corea praecipueque in Vietnamia – propterea quod haec bella perperam ab Americanis gesta sunt. Praeterea neque prudentem neque “terrae Americanae” utilem esse opinionem eorum hominum censeo, quibus illud opportunum videtur, ut Septentrioamerica negotia aliorum populorum non curet. Vestrae enim Rei publicae in orbe terrarum maxima potestate praeditae historia ipsa, vel aeterna quaedam historiae lex, illud necessarie imponit, ne saltem a sociis discedere velit: omnes enim “pugnae”, ubicumque committuntur, ad Vos quodammodo pertinent. His ergo aliisque de causis inter eos non sum collocandus, quibus incepta Americanorum contra Serbos improbanda videntur.

Alessandro Emilio: *Quod ad arma attinet, numquam demonstrari poterit eorum utilitas. VIM VI REPELLERE, VIS IPSA EST.*

Doleo, Alexander optime, sed res non ita se habent. Nam aliud est vis, quam quis alteri homini prior intulerit, aliud est vis ea, quam iniuriae auctori lacescit fecerit. Tam evidens est hoc principium, ut semper fuerit sancitum atque ab omnibus populis ut iustum retineatur. Qua de causa verba “vim vi repellere licet” non modo legitimae defensionis – quae ad ius privatum spectat – verum etiam iuris “internationalis” nuncupati sunt fundamentum. Hoc enim iure fit ut actio, quam in me aliquis iniuste fecerit, licitam reddat actionem quamvis illicitam meam (Italice: “L’atto illecito altrui rende lecito il mio atto illecito”). Illud placitum – dicunt iurium legumque periti – intimae hominis naturae plane consentaneum est. Non supervacaneum igitur est quaedam Hugonis illius Grotii verba legere, quae sunt: “Inter prima naturae nihil

est quod bello repugnet, immo potius ei favent. Nam et finis belli... si VI ad eam rem sit opus uti, nihil habet a primis naturae dissentaneum" ("De iure belli ac pacis", L. I, 2, 4). Valete omnes.

26/3/99 – Alessandro Emilio

Gratias ago propter tuam tam doctam explicationem, Victori. Vexatissima haec est quaestio – utrum vim vi repellere vis ipsa sit annon – sane gravis ac minime facilis, ita ut opiniones inter se diversas cotidie audire possimus ac in animis oriri videamus! Omnibus patet in multorum hominum animis haec dubia semper viguisse ac vigere, cum nemo dicere possit, in talis quaestionibus, veritatem certam invenisse! Bonum est ergo de his rebus nos disputare ac cogitare. Gratissimum mihi esset tecum – ac cum ceteris sodalibus – plura dicere ac exquirere, sed tempus deest, atque per epistulas electronicas haud facile est argumenta tam gravia pertractare. Cum ad verba tua mentem intenderem, cumque mecum cogitarem de "vi vi repellenda", hoc unum addendum putavi ut apertius meam opinionem declararem: vim vi repellere vis ipsa est, si ad vim repellendam vis inferri videtur non contra reum ipsum, sed contra alios homines; hoc saltem timendum est, ne armis ulla numquam tyrannus ille tangatur, alios autem homines necentur... quid de hoc putandum est? Valete omnes.

26/3/99 – Vittorio Ciarrocchi

De hoc timore prorsus tibi assentior. Nam semper sunt lugendi cives insontes, qui "bello caedibus atroci et sceleribus" (haec "De rebus Balcanicis" referens die 14 Ian. 1997 scripsoram) necantur.

Plurimas insuper tibi ago gratias, quod "tyranni illius" Serbici mentionem fecisti, nomine Slobodanus Milosevic. De quo Entius Bettiza, diurnarius et scriptor insignis ortu Illyricus idemque Jugoslavicae historiae peritissimus, multa rettulit in commentariis Taurinensis, qui "La Stampa" inscribuntur (die 25 Mart. 1999, p. 7). Tredecim abhinc sunt anni – cum alia tum haec scripsit Bettiza – ex quo Milosevic eis in regionibus incendia excitat; "novum Hitlerum" eum esse dixit Bettiza. Sed audiamus et aliam partem. Philippus David, Serbicu scriptor prosapia Hebraeus, in colloquio percontativo, quod nuper cum diurnario Maximo Nava habuit, haec dixit: "Qui amant Serbiā, hodie sunt contra Slobodanum Milosevic" (ex commentariis, quibus index "Corriere della Sera", die 19 Mart. 1999, p. 11). Vale et valete.

26/3/99 – Vojin Nedeljkovic

Ecce me domum de hypogeo: sic enim solet fieri in aero impetu, nec dubito quin hac nocte denuo simus migraturi eodem ego et uxor.

Vos interim de bello quod Illyricum appellastis. Appelletur ita sane, quamvis sit ridicula appellatio; sunt in ea re potiora de quibus loquamur. VIM, inquit, VI REPELLERE LICET. Licet profecto, sed unde? A se videlicet vel a suis. Nempe faciunt id ipsum Americani: suam enim salutem atque utilitatem ubique terrarum dum vindicant, invenimur quibus ne domi quidem salutem utilitatemque nostram spectare liceat. Neque jam vetere illo pracepto vivitur, sed novo, multo scilicet digniore: SI VIS AMARI, DEBES IRRUMARI. Ita vivam, sodales, ut ego non sic vixerim!

26/3/99 – Dennis M. Wood

"Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt". Septimana sancta mox ineunte, et dum vis ingens missilium telorum a navibus longis et submersis in Illyricum coniecta multos vulnerat et interficit etiam in suburbanis vicis Belgradi, fortasse tempestivum est de Serbia aliquid dicere.

Nam provincia Kosovo in historia Serborum maximi momenti est. Anno enim 1389 p. Ch. n. princeps Lazarus cum exercitu suo a Turcis vincitur in proelio quod Kosovo Polje dicitur, et anno 1459 Serbia ab imperio Ottomano omnino voratur. Difficile est exprimere quanto cultu etiam hodie Serbi venerentur ossa principis Lazari qui in Kosovo servantur quantaque iracundia pugna illa in carminibus Serborum canatur. Quae nunc dico ut intellegatis minime verisimile esse Serbos hanc ipsam provinciam prompte et libenter Mahumetanis Albanis relicturos esse. Non dubito quin res lentius spe trahatur, nam diu et acriter pugnabitur.

Certe medius et neutrius partis sum, et ea quae fecit Milosevic saepissime reprehendenda omnibus fere esse videntur, sed timeo ne interventus militum externorum NATO/OTAN et praesidem firmet et augeat et Serbos obdurescat, ut anno 1940 compererunt Germani Illyrico bellum inferentes. Victorius noster de Hitlero et de Neville Chamberlain anno 1938 scripsit. Ego autem rerum gestarum anni 1914 oblivisci non possum neque ignarii quod semper fuit regio Illyrica. Opportunissime se cruciant nunc et Graeci et Itali me iudice, nam malum obscure repens multas provincias ad postremum forsitan occupet.

Miror quid in Illyrico negotii sit nobis Britannis, Americanis, Germanis, aliis. Quid refert nostra? Cur alienis his rebus nos immiscimus qui nihil fere in Algeria, Indonesia, Borneo, Kurdistan, Tibet, Afghanistan, totque aliis in terris facimus? Curate bene valeatis.

26/3/99 – Vojin Nedeljkovic

Ceterum ne aptis vocabulis indigeatis, scitote regionem Kosovo “Campum Merulae” saeculo quarto decimo Latine esse appellatam, nomine de Serba lingua translato.

26/3/99 – Stephen Berard

Dennis Wood: *Miror quid in Illyrico negotii sit nobis Britannis, Americanis, Germanis, aliis. Quid refert nostra? Cur alienis his rebus nos immiscimus qui nihil fere in Algeria, Indonesia, Borneo, Kurdistan, Tibet, Afghanistan, totque aliis in terris facimus?*

Intra horam in fericulas vernas discessurus brevissime tamen ad interrogatum gravissimum tuum respondere velim.

Manifestum est in consiliis publicis quemque secundum indolem ingeniumque finem omnino suum spectare. Sine ullo dubio multi NATOnenses ex corde credunt novum Hitlerum in Illyrico opprimendum, alii autem omnes fere Hitleros externos neglegendos praeter periculosissimos, inter quos istum novum non esse. Alii Americani Europam ut humanitatis nostrae cultusque fontem praecipuum maxime atque in primis defendendum, alli non. Interrogationes quidem velut “Quid refert nostra?” in gubernatorum ore scilicet ad rei publicae usum generalem attinere (videri) debent. Commemorandum autem est rem publicam quamvis et ex hominibus singulis diversissimisque et ex civium manibus factionibusque variis constare, quorum unam creant, verbi gratia, homines militares nostri qui hac opportunitate pergrati, ut compertum habeo ego, fruuntur arma nova probandi. Negari enim non potest in re militari bella facta nihil prorsus esse ad bella vera. (Mendis scribendi celeritatis causa, ut quaeso, ignoscentes) valete!

27/3/99 – David Morgan

Quae Victorius, Dionysius, Vojin, Stephanus aliique nonnulli de bello nuperrime exorto deque gentium iure scripserunt – non animi motibus elati, sed rationibus freti – magno studio legi. Talis disputatio hanc velut rem publicam Latinam et pancosmiam decet.

Hoc fere modo, si rem recte intellexi, nostra aetate bellatur. Primum homines quidam innoxii aliquo in loco sicas et sclopetis comminus crudeliter necantur. Deinde – ne tale scelus impune haberi videatur – homines alii quidam innoxii, alio in loco, pyrobolis missilibusque e longinquo iaculatis crudeliter necantur.

Praeclara iustitia.

At quid inter unam et aliam iniuriam intersit, non satis dispicio, nisi quod de illis quidem relatores televisifici multa referunt, de his pauca. Sicut autem arbor, quae nullo audiente in silva corruit, a philosophis dicitur quodam modo non corruisse, ita nostro tempore ea quae diurnariis absentibus aut tacentibus accidentunt, quodam modo non accidentunt.

Verba denique ipsius Pacis subscrivam, quae ita fere apud Erasmus Roterodamum loquitur: “Ad bellum gestis? Primum inspice cuiusmodi res sit pax, cuiusmodi bellum, quid illa bonorum, quid hoc malorum secum vehat, atque ita rationem ineas num expediat pacem bello permutare. Qui paulo cordatiores sunt, expendunt, considerant, circumspiciunt, prius quam privatum aliquod negotium aggrediantur. At clausis oculis praecipites in bellum ipsi sese coniiciunt, praesertim cum semel admissum, excludi non possit quin e pusillo fiat maximum, ex uno plura, ex incruento cruentum – maxime cum haec procella non unum aut alterum adfligat, sed universos pariter involvat. Si bellum semel omnium malorum, quidquid usquam est in rerum natura, oceanus quidam est, si huius vitio subito marcescunt florentia, dilabuntur aucta, labascunt fulta, pereunt bene condita, amarescunt dulcia, denique si res est adeo non sancta ut omnis pietatis ac religionis sit maxime praesentanea pestis, si nihil hoc uno infelicibus hominibus, nihil invisi superis – quaeso per Deum immortalem, quis credit istos homines esse, quis credit ullam sanae mentis micam inesse, qui me talem tantis impendiis, tantis studiis, tanto molimine, tot technis, tot curis, tot periculis student eiicere, tantumque malorum velint tam care emere?” (D. Erasmus, *Querela Pacis*, 1517, ed. G. Christian, pp. 432, 362). Valete.

27/3/99 – Steinar Midtskogen

quam simplicitatem praesidentis Clintonis! qui nuper Serbos allocutus est Americanos non in Serbos sed in illum Milosevic bellum intulisse dicendi causa. etiamsi ita sit ut Philippus Serbus cuius uerba Victorius nobis protulit scripserit illos qui ament Serbiām hodie esse contra Milosevic, homines hostem hostis amant, annon? praeterea non omnino, ut caute dicam, Clintoni assentior. ortus proelium hodiernum est in Campo Merularum (Serbocroatice “Kosovo Polje”) regione quae et Serbis et Illyriis ibi numero maioribus iamdiu est magni momenti, minime tandem dici potest hunc unum hominem odium quod in hac regione ualeat creasse nec solum alere.

si qui his Illyriis Merulensibus auxilium militare ferre uolunt, ferant NATOne uolente ut nunc nonnulli priuati Russici Serbos iuuari uolunt Russia indulgente, at NATO ipsa illigari desistere debuit ut Russia ipsa a ui adhuc desistit. nunc autem alea iacta est. fortasse est quaedam spes in Russis qui nunc arte diplomatica pacem conciliare possunt. sic Russia se suo loco terrarum restituere potest. talis mihi spes est. ualete.

27/3/99 – Daniel Arseneault

Steinar Midtskogen: *quam simplicitatem praesidentis Clintonis! qui nuper Serbos allocutus est Americanos non in Serbos sed in illum Milosevic bellum intulisse dicendi causa.*

Nonne est quod dixerunt Americani in bellando contra Iraquiam, id est contra Hussein bellare? Iraqi autem tolerant, immo sustinent Praesidentem Hussein. Estne eadem res cum Serbis? Nescio, sed multi Serbi certe sustinent causam Milosevic et opinor Americanos forsitan non in illum inferre bellum sed in nationem Serborum.

Utrum Americani custodes pacis terrae sint an se iactant in bellum ut se ageant potestatem?

27/3/99 – Beata Chadzynska

David Morgan: *At quid inter unam et aliam iniuriam intersit, non satis dispicio, nisi quod de illis quidem relatores televisifici multa referunt, de his pauca. Sicut autem arbor, quae nullo audiente in silva corruit, a philosophis dicitur quodam modo non corruisse, ita nostro tempore ea quae diurnariis absentibus aut tacentibus accidentunt, quodam modo non accidunt.*

Quomodo diurnarii extranei res eo bello accidentes describere possunt, si finibus Serbiae expulsi sunt?

Vojin Nedeljkovic: *VIM VI REPELLERE LICET. Licet profecto, sed unde? A se videlicet vel a suis.*

Quid autem, si, exempli causa, vir quidam ignotus tibi, te spectante, iniuriam accipiat? Auxilium ei omnino non feras?

Dennis Wood: *Miror quid in Illyrico negotii sit nobis Britannis, Americanis, Germanis, aliis. Quid refert nostra?*

Eadem quaestio a Britannis, Francis, aliis anno 1939, cum Hitlerus Poloniam invasit, ponebatur. Nemo Polonis auxilio venire voluit, tum tyrannus impunem se esse arbitratus est, et totam paene Europam sub iugo mittere statuit. Exitus horribilis omnibus nobis notus est. Valete.

27/3/99 – Vittorio Ciarrocchi

Daniel Arsenault: *Nonne est quod dixerunt Americani in bellando contra Iraquiam, id est contra Hussein bellare? Iraqi autem tolerant, immo sustinent Praesidentem Hussein. Estne eadem res cum Serbis? Nescio, sed multi Serbi certe sustinent causam Milosevic et opinor Americanos forsitan non in illum inferre bellum sed in nationem Serborum.*

Sint sane veri similia quae de Americanis hoc bellum suscipientibus opinaris! Aliquid tamen rogare velim de Iraquianis, qui sine dubio Husseinum sustinent. Sed quid hoc significat? Nam et maxima Theodiscorum pars usque ad extremos alterius belli mundani dies Hitlerum sustinuit. Sed coacti sunt ad tyrannum illum sustinendum, cui non modo nazistarum factio, verum etiam saevum secretorum corpus ministrorum maxime favebat, quod “Gestapo” appellabatur. Idem de Iraquianis dicendum deque omnibus fere populis, qui libertate careant. Aliud est igitur consensus, quo suos moderatores populus liber sustinet; aliud est consensus civium sub tyrannica dominatione viventium. Nonne periculum est – si tales regiminum diversitates obliviscimur – ne his de rebus confuse disputemus? Vale et valete.

27/3/99 – Vittorio Ciarrocchi

Beata Chadzynska: *Eadem quaestio [Quid refert nostra?] a Britannis, Francis, aliis anno 1939, cum Hitlerus Poloniam invasit, ponebatur. Nemo Polonis auxilio venire voluit, tum tyrannus impunem se esse arbitratus est, et totam paene Europam sub iugo mittere statuit. Exitus horribilis omnibus nobis notus est.*

Rectissime dixisti. Sed nihil, pro dolor, ex historia homines discunt. Quin etiam a mentis oculis ea removere saepissime conantur, quae reminisci fastidiunt! Vale et valete.

28/3/99 – Vojin Nedeljkovic

Inter multa quae ad gregem nuper scripta sunt de bello vel Serbico vel Americano (Serbis enim Americanum est, Americanis Serbicu, Latinantium vero civitati quo nomine appellandum sit nescio) id quoque legi, multos fortasse Serbos causam Milosevic sustinere. Ecce me Serbum: illius monstri causam ego nec sustinui umquam nec sustinebo; at qui patriae meae bellum intulerunt, hos non solum omnibus quae mihi carissima sunt infestos, verum etiam earum opinionum quas ego plurimi facio tam expertes esse duco

ut ab ipso tyranno, in quem unum se saevire profitentur, parum differant: SILENT enim LEGES INTER ARMA; quid autem tyranno gratius quam ut sileant leges? Nec solum dico de volatilibus illis hostibus, quorum familiaritate nuperrime sumus aucti, sed etiam de Albanensibus nostris. Hoc enim tam vulgo quam falso creditur, nihil eis contra tyrannidem fuisse integrum nisi ut arma caperent. Decem fere anni sunt cum tota Serbia sub tyranno ingemiscit; interim Albanenses ne ita quidem civicae libertatis causam susceperunt ut jure suffragii, quod illis numquam est ademptum, uterentur. Si patriam a tyranno liberatam volebant, Serbos habebant nec paucos nec ignavos quibuscum rem gererent; at contra, quicumque eorum in rebus politis versati sunt, hoc unum semper affirmarunt, sua sibi republica esse opus, universos enim Serbos eodem in se animo esse. Quo mendacio cum nihil sit impudentius, ad multas tamen aures pervenit, et creditum est. Nationum quae praeter Serbos hanc terram incolunt numerus est satis magnus, nec praeter Albanenses quisquam est inventus qui libertatem suam extra Serborum libertatem peteret. Quippe libertatis ea natura est ut non tam ad gentes quam ad singulos cives pertineat. Sed aliter Albanenses libertatem sibi finixerunt; ex quo errore (si error dicendus est; certe ego meam libertatem aliter mihi fingo) etiam eorum seditio orta est. Nunciam crevit Albanensium armatorum numerus, neque omnino verum est quod de se praedicant: nihil aliud se facere nisi belligerare cum hominibus armatis quos Milosevic in se mittat, neque alia de causa bellum sumpsisse nisi ut familias, vicos, populares suos defenderent. Immo per urbes pyrobolos in popinas, tela in cives, nec quicquam pensi habent sitne Albanensis an Serbus, dum sit cruoris satis; ruri inermes homines rapiunt, nec detinent nisi dum aures naresque avellant, oculos effodiant, pudenda urant, cruciatibus exaniment. Ite nunc et credite me tam caecum qui non satis dispiciam quid rei sint mendacia quae tyrannis popello suo offerat credenda! Non pauca ego novi, nec pauca vidi, sed nimis multa. Nominate, numerate facinora in Merulana regione admissa a Serborum potestate in Albanenses: idem vobis ostendam antea in Serbos factum vel Belgradi vel ubicumque Serbiae. Quid ita? Quia nemo umquam reputare ausus est Albanenses homines a Serbis aut cives a civibus quicquam differre; ne Milosevic quidem ita sentit – communista enim est, cuius aequitas in eo consistit ut omnibus bonis aequa sit odiosus – ; nemo omnino, nisi Albanenses. Eorum primores sunt qui civile malum gentili seditione oppugnare constituerunt, eorumque armati rempublicam bello lacerare coeperunt: quod nemini prodest, et si cui prodesse videatur, non licet. Jamne illud meministis quod anno 1995, mense Augusto, factum est apud Croatas? Erat apud illos seditio Serborum illic viventium: haec oppressa est biduo, expulsis hominibus ad ducenta milia. Tum quoque “clades humanitatis” inclamata est, sed frustra: nemo enim putavit bellum esse movendum adversus illos qui reipublicae integritatem vindicassent, neque Serbis in Croatia seditiosis esse hoc magis licere quod multi essent.

Jam de Americanis eorumque belli sociis – quis est qui credat haec arma quae ab illis modo sunt mota nihil esse aliud nisi libertatis humanitatisque vindicias? Rationem peto, non excusationem; excusatio enim est, non ratio, qua possis in similibus rebus interdum uti, interdum minus. Quid? in Curdos Iraquiani saeviunt, indignantur Americani; faciunt idem in eosdem Turcae – probant. Missos igitur faciamus Curdos Hibernos, Saddamos Hitlers (ne de metaphora illa dicam tam simplici: si quem in via misere vapulantem videris...): lepidam de Americanis humanitatis vindicibus fabellam ego – si ipsorum idiotismo uti liceat – non emo. Vitam libertatemque non dico Albanensium sed omnium civium qui in Serbia sunt fovere si vellent, non id agerent quod his decem annis agere numquam destiterunt. Nihil autem egerunt nisi ut homuncionem huc identidem mitterent nomine Holbrooke, aleatoris Belgradensis nocturnum comptatorem, qui pauculos tyrannidis menses socieno suo venderet non paucis mortalium capitibus. E re enim est Serbos haberi indociles, barbaros, lanios: sic regnatur facilis. Ad summam, qui modo Serbiae bellum intulerunt, hoc unum, si quicquam, efficient ut Serborum tyrannus post tot perpetrata scelera non prius opprimatur quam justam populi sui causam susceperit. Neque vero postea erit de quo gaudeat quispiam: habebitis, mihi

credite, in Serbia potestatem Europaeis nationibus eo infestiorem quod Europaea erit. Hoc enim imprimis Europaeum est, alienae potentiae clientulum esse nolle.

PS Audivi modo Robertum Doll dicentem mox pyrobolias futuras quibus castra militaria delerentur quae Belgradi sita essent in media urbe. Vix, credo, mitigari homo poterit si quis Belgradi in media urbe natus responderit nulla omnino castra ibi esse. Necesse enim est Serbum castra habere et ubi non putas. Negat Serbus? Mentitur.

29/3/99 – Dennis M. Wood

Ut verebar et nudius tertius paene dixi:

I. Milosevicus in dies roboratur ut dux populi Serbici male et iniuste (ut dicit) ab externis oppugnati. Nam praeses ille etiam inimicos et adversarios reddere nunc facile potest suos, dum caput et patria tormentis variae magnitudinis a NATO/OTAN verberantur. (Bono animo et tutus a periculo sit Vojinus noster muro hypogaei sui tectus!)

II. Machina illa speculatoria F117A quae furtim loca ab aere inspicit, quae Americanis magnum dispendium attulit, quae ab hostibus cerni et videri adhuc non posse credebatur, improviso in Illyrico deiecta est.

III. Res in provincia Kosovo maximopere ingravescunt. Milites enim et vigiles Serbi qui impetus NATO/OTAN sustinent ulciscendi studio ingentem caedem apud Albanos Muhammedanos facere nuntiantur odio iraque efferati. Ut asperrime sed – heu! – recte scripsit Aulus Gellius: “Quod imprudentia factum est, retaliari per imprudentiam debet” (20.1.16).

IV. Nonne serius ocios per legatos in colloquium venientes hic nodus Illyricus expediendus est, nisi bellum ubique increbrescens acerbitateque summi luctus in ea regione videre volumus? Valeatis in pace omnes hoc festo tempore.

29/3/99 – Steven A. Gustafson

Mihi videtur ut, a quavis ratione contra Milosevic et arma Serborum, cetera sunt roganda.

Imprimis oportet et posse et efficere. Certe satis bomborum habenda sunt, ut possimus; an efficiant bomba? haud scio. Quot bomba in Vietnamiam jaciebamus? nimis quidem, ut thesaurus rei publicae Americanae a bello multos annos in naufragio fuerit; parum autem, ut firmitudinem Vietnamensium non fregerimus. Bombatus aerius haud certe efficax contra populos obstinatos; nisi efficax sit, quare opus sit?

A quo, rogo autem, bellum sit gerendum? Etiamsi regnum Serborum trucidationem inimicorum proponent, quare semper opus est copiis armisque Americanis? Haud proximi sumus. Pertaedet multos Americanos defensionis mundi; si remoti inter se concidere vellent, nil nobis refert. Nobis est nos solvere a nexibus extraneis, et ad consilium patrum patriae nostrorum redire.

1/4/99 – Vittorio Ciarrocchi

Steven A. Gustafson: *Imprimis oportet et posse et efficere. Certe satis bomborum habenda sunt, ut possimus; an efficiant bomba? haud scio. Quot bomba in Vietnamiam jaciebamus?*

Partim assentior tibi. Nam Americani eorumque socii “ad cladem adducentur, si ut in Vietnamia bellum gesserint”, die 24 scripseram. Sed prima causa cladis Americanae in Vietnamia fuerunt multi Vestrum moderatores, qui a Vietnameisibus bellum tectum (“guerrilla”) conflatum esse non intellexerunt. Et contra bella tecta vanum est iacere bomba: peditatus militibus opus est, quorum numerus saltem decies vel

quindecies hostium supererat. Memini a duce quodam Vestro – Westmoreland, nisi fallor – olim petita esse quinquaginta milia militum, qui statim commilitones eo bello infirmatos substituerent. Praeses Johnson misit decem milia post tres menses! Hunc in modum nemo illud bellum vincere potuisse. Rogas igitur “quare opus sit?”. Respondeo: adhuc (nam cras res mutari possint et pax TANDEM componi) duces NATOniani sane confidunt bombatum aerium fore efficacem.

Gustafson: *A quo, rogo autem, bellum sit gerendum? Etiamsi regnum Serborum trucidationem inimicorum proponent, quare semper opus est copiis armisque Americanis?*

Hac de re tibi die 25 iam respondi, cum haec scripsisse: “Vestrae Rei publicae in orbe terrarum maxima potestate praeditae historia ipsa, vel aeterna quaedam historiae lex, illud necessarie imponit, ne saltem a sociis discedere velit: omnes enim pugnae, ubicumque committuntur, ad Vos (Septentrioamericanos) quodammodo pertinent”. Sententiam hanc non muto. Quod autem scripsisti doctrinam redolet, quae sermone politico Anglo “Isolationism” appellatur. Quam quidem doctrinam – si verba tua bene intellexi – prorsus respuo iis etiam de causis, quod “consilia patrum patriae” Vestrum haud semper fuerunt ea, quae tibi videntur fuisse. Nam, ut unum exemplum afferam, veri simillimum est praesidem Delanum Roosevelt consulto nihil vel parum fecisse, ut aeroplanorum incursus Iaponicum contra stationem navium Americanarum in Pearl Harbour sitam impediretur. Cur? Quia illi Roosevelt opus erat proditorio incursu, ut Americanos ad bellum induceret a Iaponensibus susceptum in regionibus Asiae, cui Patria tua nullo modo “proxima” erat. Vale et valete.

7/4/99 – Alessandro Emilio

Vojin Nedeljkovic: *Non quidem quo decuit tempore, sed quo licet, Paschalia sodalibus universis et singulis laeta beata fortunata exopto: Christos anestE ek nekrOn / thanatOi thanaton patEsas / kai tois en tois mnEmasi / zoEn charisamenos!*

Gratias permultas ago, Vojine, propter paschalia tua omina, quae, ut ipse dixisti, “non quidem quo decuit tempore” nobis misisti: utinam Paschalia tempora pacem ferant terrae tuae ac orbi toti terrarum!

Quae quidem audimus videmusque, maestitiam atque anxietatem haud parvas nobis afferunt, cum cotidie res novae pessumae ad nos adveniant: et de patria tua, contra quam bellum illatum est, et de “campi Merulae” Albanensibus, qui vi coguntur de domibus suis exire cum terribilia sceleria patientur.

Quid de te, Vojine noster? Revera nostra interest vocem tuam audire. Tibi quoque laeta beata fortunata exoptamus omnes!

7/4/99 – Christopher M. Brunelle

gaudemus omnes quod electronice saltem, illustris Vojin, nobiscum es. pax et tecum et nobiscum omnibus maxime exoptatur ab universis gregis participibus.

16/4/99 – Marcus Morsus

De bello Serbico spumare non resistere possum. Clinton et suus catellus Blairus rationem huius belli elementi sunt. Quare America Britannique suam sociam Turciam amant, quae tredecim annos contra Curdos in Anatolia facinoribus horribilibus inhumanisque bellabat, dum Serbiā abominant, quae decem menses contra Cosovares persimiliter bellabat? Quomodo America, quae contra Vietnamenses atque persimiliter bellavit, est curans mater humanitatis? Si Milosevicus interfector sit, sunt appellati omnes interfectores quos America dilexit? Causa quae humanitatis videtur toti Illyrici imperandi vero est. Serbia invasa est non quod America Britannique Cosovares current, sed quia potestatem suam aggere volent. Valete.

18/4/99 – Dragana Kuncer

Cum in Serbia vivam et una cum omni populo terrorem huius belli patiar, omnia facta quae ad hoc pertineant attentissimo animo studeo. Mihi illa maximi momenti sunt. Summam operam do ut chaos qui me plus quam viginti quinque dies obsidet intellegam. Si Americae et ceteris S.M. tam odiosus est, cur nihil ante fecit ut democracia in Serbia oriretur et cresceret? Occasiones multae fuerunt.

Verbi gratia, ante duo annos cum permulti cives die ex die, tota hiems in viis urbium contra illum in pace protestaverint. Illo praesidente OMNIBUS (omnium nationum), qui liberaliter vivere voluerint, vita perdifficila fuit. Multa mala nobis portavit. Est mihi numerandum? Ruina ex-Yugoslaviae, bellum in Bosnia, isolatio culturalis et economica et nunc bellum ante portam. America et ceterae res publicae tacebant. Non... feroce furent, tamen non in illum, sed in populum simplicem. Idem hodie contingit. Hypocrites sunt.

19/4/99 – Vittorio Ciarrocchi

Dragana Kuncer: *Cum in Serbia vivam et una cum omni populo terrorem huius belli patiar, omnia facta quae ad hoc pertineant attentissimo animo studeo.*

Spero fore ut terror, qui te ac populum Serbum obsidet, quam primum a pace serenitateque levetur.

Non dubito quin “omnia facta quae ad hoc pertineant attentissimo animo” studeas. Sed quid Serbis et iis, qui in Serbia vivunt, de Cossovano populo a nonnullis Serbici exercitus militibus non modo vexato, sed etiam armis ad fugam coacto, referunt emissiones televisificae et acta diurna Serbia? Per situm interretialeм <http://www.usia.gov> Americani populum Serbum de omnibus rebus ad hoc bellum pertinentibus a regime Miloseviciano occultatis certiorem quam primum faciet. Quae in Cossovana provincia hisce diebus acciderint, tibi referre supersedeo!

Kuncer: *Si Americae et ceteris S.M. tam odiosus est, cur nihil ante fecit ut democracia in Serbia oriretur et cresceret?*
Occasiones multae fuerunt.

Fuerint “multae” illae “occasiones”. Sed quid ab America faciendum fuit? De rebus loquor, quae ad “democratiam” efficaces essent; non de exhortationibus, quae, cum ad populum quemlibet omni vel paene omni libertate expertem extrinsecus perveniant, Rei publicae formam mutare nequeunt. Haec non ego, sed historia ipsa *docet* – ut ita dicam.

Kuncer: *America et ceterae res publicae tacebant. Non... feroce furent, tamen non in illum, sed in populum simplicem. Idem hodie contingit. Hypocrites sunt.*

Quamvis Americae ceterarumque Rerum publicarum vox submissa fuisse, tamen scire velim quid ab Americanis ceterisque sit nunc agendum: rapere illum praesidentem, qui Vobis “multa mala portavit”, eique in vinculis coniecto litem intendere? Haec si esset opinio tua, tibi forsitan assentirer. Sed hoc de incepto tantum per absurdum loqui licet. Nam neque Americani periculum huius rei facere possunt, neque facerent si possent: incepti illius exitus et incertus et cruentissimus esset, propterea quod tyrannis nostrae aetatis auxilio sunt milites praetoriani et strenui et crudeles. Cur igitur “hypocrites”? Hoc verbum ad res politicas, oeconomicas, bellicas definiendas parum aptum est. Vale et valete.

19/4/99 – Dragana Kuncer

Vittorio Ciarrocchi: *Spero fore ut terror, qui te ac populum Serbum obsidet, quam primum a pace serenitateque levetur.*

Ego etiam.

Ciarrocchi: *Non dubito quin "omnia facta quae ad hoc pertineant attentissimo animo" studeas. Sed quid Serbis et iis, qui in Serbia vivunt, de Cossovano populo a nonnullis Serbici exercitus militibus non modo vexato, sed etiam armis ad fugam coacto, referunt emissiones televisificae et acta diurna Serbia?*

Rem cruciale commemoravisti – potentiam televisionis. Iam diu non credo emissionibus televisificibus. Scio me vivere sub tyrrano cui fortissima arma est televisifica. Sed, non sum certa ut regima "democraticarum rerum" simile non faciant. Quomodo potes scire eos veritatem dicere? Quomodo? Televisio fecit ut populus totius orbis terrarum tam faciliter errorem logicum accepisset: Americani (non. errorem. gubernatores politici americanii) volunt pacem cum BELLO statuere, catastropham humanam cum ARMIS solvere. Potest hoc illis problematibus solutionem esse? Paradoxalis est, sed nullus ex hominibus doctis surrexit. Catastropham maiorem fecerunt (Serbis et Albanenesibus, differentiam non facio), sed omnes silentes sunt cum televisio eorum nihil de hoc referat et de hoc nihil sciant. Infeliciter, hic effectus

potentiae televisificae mihi bene notus est. Tamen, rogo: cur nemo alio modo cogitare ausus est?

Potes, si tibi licet, videre situm interretiale: <http://welcome.to/freeserbia>.

Ciarrocchi: *Sed quid ab America faciendum fuit? De rebus loquor, quae ad "democratiam" efficaces essent; non de exhortationibus, quae, cum ad populum quemlibet omni vel paene omni libertate expertem extrinsecus perveniant, Rei publicae formam mutare nequeunt.*

Tibi assentior quod exhortationes solae nemini auxilio fuerunt. Potuerunt fortasse cum maiore pertinentia pugnantibus pro democratia manum dare. Scio quoque bellum hoc tyranno huic adiuvat et nunc fortior est plus quam umquam. Nemo me persuadere poterit ut ii, qui in nostram terram ingressi sunt, id futurum esse non providerent. Ideo nomino gubernatores rerum harum hypocrites. Omnibus ut in pace vivant opto.

20/4/99 – Vittorio Ciarrocchi

D. Kuncer: *Rem cruciale commemoravisti – potentiam televisionis.*

Ad veritatem nuntiorum quod attinet, non instar auri facio omnia, quae ab emissionibus televisificis atque ab actis diurnis nostris (id est, earum Rerum publicarum contra Serbię bellantium) vulgantur. Tamen emissiones et diurnariorum commentationes Vestrae et nostra in eadem trutina NON sunt ponendae. "Cur?", forsitan quaeres. Quia apud nos loquendi et scribendi – vel pro vel contra hoc bellum – est maxima libertas, quae in Serbia deest. Tu ipsa te "vivere sub tyranno" scripsisti. Et quomodo iis nuntiis fides est tribuenda, qui ad regimen tyrannicum sustentandum sunt praecipue vulgati? Diurnarius Slavkus Curuvija necatus est quod illi regimini parum favere videbatur. Quae igitur tu ex me quaecepsisti, nonne ego maiore iure ex te quaerere possim?

Kuncer: *Televisifica fecit ut populum toti orbis terrarum tam faciliter errorem logicam accepisset: Americani (non. errorem. gubernatores politici americanii) volunt pacem cum BELLO statuere, catastropham humanam cum ARMIS solvere. Potest hoc illis problematibus solutionem esse?*

Utrum hoc bellum illa problemata solvere possit necne, hodie nemo scit. Quod tibi paradoxon esse videtur, est mos veterimus et interdum unus, quo peiora mala vitari possint. In fine primae epistulae meae ad hoc bellum pertinentis (die 24 Mart.), mentionem feci de Anglico administro Chamberlain, quo nescio num aliis stultior in tota huiusc saeculi historia fuerit (si excipias nostrum Mussolini), qui ad pacem omnimodis servandam re vera Hitlero nazistarumque perfidis consiliis favit; anno 1939 erant plerique, qui nolebant "pro urbe Danzica mori"; et necesse fuit bellum atrocissimum gerere contra illum tyrannum, ut eius regimen conculcaretur. Num melius fuit bellum illud non suspicere contra Hitlerum, cui firmum consilium erat omnes populos Europaeos ut servum pecus tractare? Neque a sodalibus Serbis, neque a te, Dragana

optima, quam huius belli causa perturbatam omnes animadvertisimus, aliquam responsonem velim. Sed ab iis velim mihi haec interroganti respondeatur, qui Americanos omni contumelia dignos putent.

Kuncer: *Potes, si tibi licet, videre situm interretiale: http://welcome.to/freeserbia*

Quae de illo situ legi, ea mihi praeconia quodammodo laudativa visa sunt. Utut se habent res, sententiis assentior Susanna Sontag, quae heri in actis diurnis q. t. "la Repubblica" (pag. 17), haec scripsit: "Slobodan Milosevic iam anno 1991 cohibendus fuit, cum ille ignivomis globis verberare iussit urbem Dubrovnik"; et infra: "Absurdum est de mortibus, quarum causa fuerunt ictus Natoniani Serbiam verberantes, et de atrocitatibus, quae in milia et milia hominum illatae sunt ob odium phyleticum a Serbis per octo annos adhibito, idem iudicium facere"; (Italice: "E' grottesco porre sullo stesso piano le morti causate dai bombardamenti N.a.t.o. e le atrocità inflitte in questi ultimi otto anni a centinaia di migliaia di persone dal programma serbo di pulizia etnica").

Kuncer: *Nemo me persuadere poterit ut ii , qui in nostram terram ingressi sunt, id futurum esse non providerent. Ideo nomino gubernatores rerum harum hypocrites.*

Nemini de nulla re persuadere volo. Pro meis viribus conor recte ratiocinari, nihil animi commotionibus tribuens, quae in huiusmodi disputationibus omnia obscura et confusa reddunt. Vale et valete.

21/4/99 – Luca Ricossa

Vittorio Ciarrochi: *Nemini de nulla re persuadere volo. Pro meis viribus conor recte ratiocinari, nihil animi commotionibus tribuens, quae in huiusmodi disputationibus omnia obscura et confusa reddunt.*

Omnino obscura et confusa sunt. Sed interrogo de hypocrisia: percipio enim Serbiam conculcassem populum in Kosovo sed existunt alii qui conculcant et opprimunt, praecipue inter amicos et foederatos Americanorum. Cur itaque bellum non geritur contra eos? An populi in Corduena [Kurdistan] vel Palaestina non sunt populi sicut alii? Israelitae gerunt bellum contra terroristas? Sic et Milosevic. Sed Israelitae invadunt alias nationes, non Milosevic.

Et ubi est jus, quando quisquis se immiscitur in negotiis aliorum? Comparatio cum Hitlero claudicat: Hitlerus aggressus est alias nationes, Milosevic populum suum.

Haec est opinio mea, valde rustice expressa. Valete omnes.

21/4/99 – Dennis Wood

Socrus mea in amicitia est cum viro iam octogenario qui dum in urbe Singaporensi (antiquitus "Sabara Emporium" vocata) anno 1942 militabat ab exercitu Nipponensi captus est. Senex verecundus est Jack qui raro loquitur de rebus quas illo tempore passus est cum captivus viam ferro per silvam densissimam Asiaticam sterneret labore et aestu saepissime languidus. Adhuc autem numeri sui meminit lingua Nipponensi quem a mane usque ad vesperam coram custodes ei clamandus erat... Commemoratio summae immanitatis eorum qui in inopia et egestate per tres annos hunc virum retinuerunt hodie supervacanea est: nemo enim est quin hodie sciat quid a Nipponensi exercitu eo tempore gestum sit, nisi aliqui e Nipponensibus ipsis. Bello autem peracto in iudicium recte ac merito adducti sunt ei qui facinora detestabilia in extrema Asia commiserunt.

Ea vero quae nuperrime nuntiata sunt de bello in Illyrico etiam atque etiam me commonefecerunt rerum scelestorum a Nipponensibus in Asia perfectarum. De profugis enim audivimus et de mulieribus captis quae per vim iterum ac saepius a militibus stupratae sunt, de trucidatione velut pecorum iuvenum Mahumetanorum qui statim communibus in sepulcris humati sunt, de obsidibus in Kosovo qui pro aedificiis vehiculisque a NATO / OTAN oppugnandis dispositi sunt vel quorum sanguis militum vulneratorum venis

transfunditur. Huic bello civili (me quidem iudice) nos numquam interesse oportuit. At facere non possum quin dicam quantus me horror nunc occupet spectantem ea quae ab exercitu Milosevici in dies singulos fiunt populo Serbo plerumque insciente. Composita pace sine dubio poenae iustae et debitae erunt solvendae.

21/4/99 – Dragana Kuncer

Vittorio Ciarrocchi: *Et quomodo iis nuntiis fides est tribuenda, qui ad regimen tyrannicum sustentandum sunt praecipue vulgati? Diurnarius Slavkus Curuvija necatus est quod illi regimini parum favere videbatur. Quae igitur tu ex me quaesisti, nonne ego maiore iure ex te querere possim?*

Regimina huius reipublicae televisione iam diu (ab)utitur ad faciendum populum suum territum et nemo dixit emissionibus illis fidem tribuendam esse. Semper eis usus est (S.M.) ad longe et "feliciter" imperandum. Si televisiones civitatum quae Serbiām ingrediuntur referunt consilium huius impetus esse extinctionem "novi Hitleri", vel non sunt facta certiores vel habent obscura consilia quae occultant. Conor explicare ut hoc impetum eum solum adiuvat ad longiorem et "feliciorem" imperium tenendum. Pyroboli natiōnēs regimini huic non nocent. Quo bello longior est, eo potentior est atque in aeternum in terra hac regnabit (si populus et terra ubi regnandum est, ei supersit!). Si hoc impetu democratiam non possunt statuere (haec non est res unius mensis!), si miseriam humanam in Kosovo non possunt lenire, quae est causa belli? Maior miseria? Vale.

21/4/99 – Marcus Morsus

Me maxime paenitet, Dragana, quod mea patria tuam patriam ex aere invehit. Si possim, interveniam.

Miles Americanus eram, octo annos per temporem belli Vietnameñis. Scio humum totae Cosovoniae parum esse ut omnes inermes Vietnameseños quos illo in bello interfecimus humentur. Eos plures esse, puto, quam quadringenta milia. In fugam aliquot milia milium coegimus. Scio quod hodie mea patria in Anatolia, Timoria, Columbiaque persimilia bella contra illarum regionum populos, quae bella non calamitosiora sunt quam bella in Cosovonia est, non modo iuvat set etiam iuvabit.

Nunc administratio patriae meae, et relatores qui liberi appellati sunt, dicit ut pro paucis milibus Cosovarum inermium interfectorumque, atque pro aliquot centum milibus eorum qui in fugam coacti sunt, fleamus, comas abscindamus, etiam novum bellum adiuvemus. Relatus doloris Cosovarum ex cottidianis paginis televisioneque erumpunt. Gubernatores civiles, duces militiae, relatoresque circumstrepunt, et multitudine audit. Pernicies humanitati est in Cosovonia!

Fere rideo. Vera pernicies humanitatis erat in Ruanda, sed ubi erant relatus? Ubi erat ira reipublicarum nostrarum? Ubi hodie sunt relatus dolorum Anatoliae, Timoriae, Columbiaeque? Multis in foris identidem rogo: quare nos opportet pro hoc solo populo flere, quare patrias nostras opportet pro eo solo bellare? Nemo referit, sed identidem de dolore Cosovarum suas manus torquent, identidem de Milosevici malo fumant.

Tum rogo: num hoc bellum est pro Cosovaribus, quod bellum salutem eorum maxime corrupit? Quod bellum omnes Serbos in bracchia Milosevici compulit, num est contra potestatem eius? Referunt, "Non intellegis, quomodo malus est Milosevici!"

Mihi videtur proscriptas rationes huius belli esse stultiores quam credi possunt. Ratio vera est quod administrationes patriarcharum nostrarum divitibus potentibusque servint. Atque relatores non sunt liberi, sed servi eorundem dominorum sunt. Totum Illyricum imperare his dominis prodest, quam ob rem Serbia invasa est. Vale et valete.

23/4/99 – Vittorio Ciarrocchi

Luca Ricossa: *Omnino obscura et confusa sunt. Sed interrogo de hypocrisia: percipio enim Serbia conculcassee populum in Kosovo sed existunt alii qui conculcant et opprimunt, praecipue inter amicos et federatos Americanorum. Cur itaque bellum non geritur contra eos? An populi in Kurdistano vel Palestina non sunt populi sicut alii?*

I. Quia in omnibus terrae finibus Americani bella gerere non possunt.

II. Quia Americanorum utilitas maior est in Europa quam in regionibus, quarum mentionem fecisti.

III. Quia et bella (contra Croatos et contra Bosniacos) et crimina a regimine Miloseviciano perpetrata, Americanarum rerum moderatoribus graviora esse videntur quam alia bella et crimina.

Ricossa: *Israelitici gerunt bellum contra terroristas? Sic et Milosevic. Sed Israelitici invadunt alias nationes, non Milosevic.*

Praeterquam quod Milosevic non tantum bellum gerit contra terroristas, sed cunctum populum quendam vult expellere a Kossovo – hoc unanimiter documentis et effusione illius populi probatur – omnibus constat ab illo tyranno multa suscipi (de duobus bellis ab eo initis mentionem supra feci) ad subvertendos nationum Balcanicarum fines.

Ricossa: *Et ubi est jus, quando quisquis se immiscitur in negotiis aliorum? Comparatio cum Hitlero claudicat: Hitlerus aggressus est alias nationes, Milosevic populum suum.*

Quasdam nonnullorum rerum historicarum scriptorum et diurnariorum sententias breviatas – non tamen sensu carentes – referam:

I. “America et Europa populum quendam e sua terra emigrare armis coactum tolerare non poterant” (Eugenius Scalfari, in actis diurnis “la Repubblica”, 4 Apr., p.1).

II. Cladice comparatio cum Hitlero! Sed “si nemo contra Hitlerum bellum gessisset, hodie vivus non essem” (Arrigus Levi, in “Corriere della Sera”, 3 Apr., p. 1).

III. “Quae Milosevic fecit et facit contra Cossovanos est ius ad interventum Natonianum” (Petrus Ostellino, in “Corriere della Sera”, 6 Apr., p.1; Italice: “... il genocidio “selettivo”, attraverso lo sterminio sistematico della sua classe dirigente, e la “pulizia etnica”, attraverso la deportazione in massa della popolazione kosovara di origine albanese, da parte della Serbia di Milosevic, giustificano ampiamente l’intervento militare della Nato”.

IV. “Nullum genocidium aequo animo ferri potest. Quae in provincia meridiana Serbie est in conspectu omnium...” (Robertus Gervaso, in actis diurnis Veronensibus, quae “L’Arena” inscribuntur, 8 Apr., p.1).

V. “Summa rerum potestas, qua omne gubernium utitur, non ratio est valida ad hominum iura violanda...”, dixit Kofi Annan, secretarius consociationis “O.N.U.” appellatae (“la Repubblica”, 8 Apr., p.5; Italice: “Nessun governo ha il diritto di nascondersi dietro la sovranità nazionale per violare i diritti umani e le libertà fondamentali delle sue popolazioni”).

Draganae interroganti: “...si miseriam humanam in Kosovo non possunt lenire, quae est causa belli? Maior miseria?”, respondeo referens verba Ernesti Galli Della Loggia, qui haec scripsit: “Quorsum spectat interventus Natonianus? Praecipue ad eos Rerum publicarum moderatores, qui, cum ingravescenti nationalismo favere cupiant, aequilibrio inter nationes pericolose minantur” (“Corriere della Sera”, 20 Apr., p. 6).

Marci Morsi verbis, quae fuerunt: “Atque relatores non sunt liberi, sed servi eorundem dominorum sunt” (21 Apr., h.16.52), valde repugnat situs interretialis, de quo idem sodalis nos certiores fecit die 22 Apr., h. 11.38. In eo enim situ permulta sunt consociationes hominum hoc bellum vituperantium. Sed quo iure, ne

dicam qua disputandi integritate, “servi” appellantur ii, qui hoc bellum necessarium putent? Nonne idem dici potest de iis hominibus, qui hoc bellum damnent? Quos tamen ne uno quidem temporis puncto “servos” Milosevicianos putaverim. Valete omnes.

P.S. Nonne opportunum est eorum sodalium epistulas legere ad eandem rem pertinentes, antequam sententiae opinionesve oppugnentur, quarum et documenta et rationes et causae qualescumque iam explanatae sint? Aliter qui suas opiniones dixerit, eas usque ad taedium iterare cogitur. Quod non modo Vobis legentibus, verum etiam scribenti est molestissimum!

23/4/99 – Luca Ricossa

Vittorio Ciarrocchi: I. *Quia in omnibus terrae finibus Americani bella gerere non possunt.*

Set tantummodo ubi ipsis utilior appareat.

Ciarrocchi: II. *Quia Americanorum utilitas maior est in Europa quam in regionibus, quarum mentionem fecisti.*

Ut dixi. Hoc bellum non est propter humanitatem, sed propter superioritatem nationis americanae. In Africa bellum interpositis personis gesserunt, et iam vicerunt, contra Europaeos (Gallia iam e Africa evicta est). Nunc volunt superioritatem contra Europam etiam in Europa demonstrare. Post tot milia annorum historiam adhuc credis humanitatem et politicam idem esse?

Ciarrocchi: III. *Quia et bella (contra Croatos et contra Bosniacos) et crimina a regimine Miloseviciano perpetrata, Americanarum rerum moderatoribus graviora esse videntur quam alia bella et crimina.*

Itaque non habemus idem metrum.

23/4/99 – Vittorio Ciarrocchi

Luca Ricossa: *Itaque non habemus idem metrum.*

Cum hac una in re consentiamus, tibi singillatim respondere et supervacaneum puto et prorsus inutile, ne repetam Gregi molestissimum. Huc accedit quod non eadem methodo utimur: tu de nullo scriptore vel diurnario ad sententias opinionesve tuas firmandas mentionem fecisti, dum meus sit mos opiniones qualescumque meas peritorum sententiis corroborare. Hoc sane facere cogor ea de causa, quod neque sum academicis titulis insignitus, neque a me uno vera inventa esse arbitror. Tu autem, quaeso, esne doctrinarum politicarum professor? Vel aetatis nostrae historiam doces? Haec interrogare audeo, propterea quod his diebus haud pauca de bello Illyrico legi, sed numquam et nusquam quod tu scripsisti, nempe “(American) nunc volunt superioritatem contra Europam... demonstrare”. Gratissimum mihi feceris si horum verborum fontem aperueris. Ad Americanos quod attinet (quos reprehendere quibusdam in rebus minime vereor, ut alias feci), verba refero Indri Montanelli, qui, si in rebus historicis investigandis me certe est peritior, aliquid forsitan – pace tua dixerim – te docere possit: “Ab America, id est ab hoc universi generis humani feroci hoste, ter sum conservatus. Primum, cum Americanorum gratia calo alicuius centurionis Theodisci non sum factus; deinde, cum Americani impediverunt quominus in quendam “kolkos” Sibiranum traducerer; denique cum ii, potius quam me hisce beneficiis cumulatum cogerent ut gratias referrem, mihi auxilio fuerunt ad domum (furore bellico dirutam) denuo exstruendam...”. Quae lingua Latina incondite reddidi, ea concinno puroque sermone Italico ille scripsit in responsione, quam dedit legenti cuidam ipsas tuas opiniones proferenti (in actis diurnis, q. t. “Corriere della Sera”, die 10 Apr. vulgatis, pag. 41). Vale et valete.

24/4/99 – Luca Ricossa

Vittorio Ciarrocchi: *Tu autem, quaeso, esne doctrinarum politicarum professor? Vel aetatis nostrae historiam doces?*

Sum simpliciter cantor ecclesiasticus, doctor philosophiae universitatis Friburgensis Helveticorum. Pater meus est clarissimus magister oeconomiae in ducato Sabaudiae in civitate Taurinense.

Ciarrocchi: *his diebus haud pauca de bello Illyrico legi, sed numquam et nusquam quod tu scripsisti, nempe "(American) nunc volunt superioritatem contra Europam... demonstrare". Gratissimum mihi feceris si horum verborum fontem aperueris.*

Fontes sunt cogitationes meae corroboratae per orationem dominis Gorbaciovī in acta diurnalia "La Stampa" (die mercurii praeteritis). Vides quod accidit: in partes Serbiae omnia fere destruuntur: quis putas operabit ad reconstructionem? Quid accidit nunc de nummo "Euro" nominato? Vide etiam: hebdomada praeterita americani voluerunt imponere prohibitionem negotialem ("embargo") contra opinionem europeorum. Paucis diebus intermissis moderatores europaei se junxerunt ad dictatum et oboedienter acti sunt.

Ciarrocchi: *Ad Americanos quod attinet [...]*

Haec omnia vera sunt sed ad personam referuntur. Indrus Montanelli oblitus est quod americanī tum cum Stalino foederati fuerunt, id est diabolū cum auxilio diaboli conati sunt oppugnare. Domus Montanelli fuit per furem bellicum americanū diruta et denuo exstructa: nunc est Europa provincia Americae, sicut et cito erit Serbia. Nescio an sit bonum vel malum, sed sic est. Vale, amice, valete omnes

25/4/99 – David Morgan

Haec aliaque huiusmodi scripsit Luca Friburgensis: "Hoc bellum non est propter humanitatem, sed propter superioritatem nationis Americanae... Nunc volunt superioritatem contra Europam etiam in Europa demonstrare." Ne tu nimis magni, Luca, regimen Americanum aestimas. Nebulones enim ii, qui nunc temporis hac in patria rei publicae praesunt, usque adeo ratione ac consiliis carent, ut nesciant ipsi quid cras sint facturi – tantum abest ut orbis terrarum dominatum dolose moliantur. [...] Valete omnes.

26/4/99 – Dennis M. Wood

Nihil adiungere possum eis quae diserte copioseque iam scripsit Victorius noster de bello Illyrico. Quamvis incaute hoc ad bellum inclinati sint Americani idque cum sociis iam iam neglegenter gerant, valde est iniquum oblivisci quantum adhuc eis debeant nationes Europae occidentalis. Nullamne beneficij gratiam habemus eis qui, altero bello universum per orbem flagrante, in multis civibus Europaeis Asiaticisque in libertatem vindicandis summa magnanimitate nos iuverunt? Deinde, dum tyrannis saeva crudaque Sovietica in servitute tenebat omnes fere gentes Slavicas, Foederatae illae Civitates libertatis flammam semper alebant.

Quae cum ita sint, mirum est in "Le Monde diplomatique" hodie legere de "quinquaginta annis dominationis [hegemonie] Americanae" quos confecerit NATO/OTAN. Non tam senex sum qui non meminerim bellicosam feritatem furemque paene religiosum sectatorum Caroli Marx in Russia, credulitatem eorum qui in Europa occidentali – quicquid faciebat iste impotens dominatus – eum assidue laudabant, gaudium Germanorum muro Berolinensi odioso demum everso. Sine Americanorum auxilio regnum nunc ferremus Partium vel dictatoris cuius voluntas pro legibus esset. [...] Curate ut bene valeatis.

30/4/99 – Vojin Nedeljkovic

Quae insula Belgradi proxima nocte pyrobolata corruit (qua clade interempti sunt cives mei plus minus decem), in via fuit quae a M. Marulo Spalatensi nomen habet – ab ipso scilicet poeta qui praeclaro illo versu, quem de Golia Philistino scripsit, hujus quoque saeculi latrones eorumque ducem dignis proscindit contumeliis:

ILLE GIGANTEI GENERIS, SED SPURIA PROLES (Davidias, 1.325)

17/5/99 – Monika Balzert

Nobis ex itinere Trevirensi ex urbe florentissima et pulcherrima revertentibus sermo fuit de fatis urbium celeberrimarum, maxime earum, quae ut Augusta Treverorum olim quasi metropoleis fuerunt imperii Romani tardae aetatis. Inter quas maxime deploranda nobis videbatur Sirmium, urbs Illyrici a temporibus Augusti inter civitates amplissimas numeranda, non longe – eheu! – a Belgrado sita, media in regione illa telis funestissimis barbarorum transmarinorum devastata. Diruitur regio Europae antiquissima. Barbaries mentes possidet. Vos valeatis.

17/6/99 – Vojin Nedeljkovic

Tobias Schliebitz: *Tobias Voiino salutem dicit. Salve! Ex paginis, quas in interreticulo posuisti, intellego te non solum mortibus civium tuorum lugere, sed etiam militibus ducibusque civitatum, quae foedere NATO continentur, obicere eos quasi ex industria cives Serbos necavisse.*

Quid causae habueris, Tobias optime, cur ex me quidquam de situ Interretiali meo aliter quam privatim quaereres, parum intellego. Verum utcumque est, nihil differt: neque enim ipse de rebus publice exhibitis publice loqui recusaverim, et situs ille meus, cum vix quidquam utilitatis afferat hominibus quos Latinae linguae peritia hunc in locum congregavit, non tamen ignotus Latinantium gregi est.

Satis caute, ut mihi videor, pauca illa verba delegi quae de bello Merulano proponerem in Interreticulo, nam non “deliberately” scripsi, sed “consciously” – quod ex ipsorum Natoensium factis dictisque apparent. Jam vero illud, qua quisque in ceteros voluntate, dum hoc bellum geritur, vere sit, scire puto nostrum, quotquot hic sumus, neminem.

Schliebitz: *Qui es Latinitatis et, ut puto, litterarum Latinarum peritissimus, explica nobis, quaeo, quid intersit inter C. Iulium Caesarem, qui potestatis suae, non Romanae, augendae causa totas gentes Gallicas trucidaverit, et dominatorem Serbiae Milosevic. mihi enim id unum interesse videtur, quod Caesar suis temporibus potentissimo exercitu plurimisque copiis uti potuit, copiae autem, quas habet Milosevic, impetum aliarum civitatum sustinere non possunt. sed fortasse rem non satis acute intellego.*

Alium requiras qui fructuosam istam divi Julii cum infernali Eleutherio syncrisin explicit feliciter: non ego de illis sum qui melius sese de qualibet re disputaturos putent si quid Romani Graecive intriverint. Quem tu igitur Serbiae dominatorem dicis neque ego dissentio (nam tyrannum appellabam, sed istud quidem Latinus), eum Americanis omnium hostium amicissimum esse suspicor: quo homine adeo nihil pretiosius ut, si ille interierit, alterum sibi talem vel ex luto, ut ajunt, ficturi sint. (Americanos solos dico – nam eorum Jubas et Micipsas commemorare posthabeo.) Milosevic enim unus est quem, dum Serborum undique expulsorum septingenta milia domi habet, aliarum gentium expulsorem nominare jure tuo possis, unus quo regnante alienam terram impune vastare ita audeas ut aedificia exercitumque “metas principales et legitimas”, cives autem trucidatos “damnum laterale” – hoc est vile damnum – praedices. Quis umquam Serborum tam impudens fuit ut Albanensium exsulantium milia quam plurima “damnum laterale” appellaret, quippe qui primum armatae seditioni, quam solam opprimere in animo fuisset, tum etiam alieno

incursui aut suo periculo favissent aut non satis longe afuissent? “At desinite Serbi tyranno vestro favere, ut salva capita auferatis.” Quid? qui ita loquitur, ecquid ab ipso Milosevic differt, qui sic: “Desinite Albanenses tromocratis vestris favere, ut in sedes vestras revertamini”? Quamquam ne ille quidem eo immanitatis pervenit ut aperte talia praedicaret. Jam vero postquam regionem Merulanam alieni possesserunt exercitus, audite modo quid vobis narretur per teleorama: fugere inde Serbos plerosque; certe neminem esse qui ita jubeat, rem tamen quominus fiat impediri non posse – Albanenses enim qui in Serbos saeviant non semper posse cohiberi; ceterum in illis ipsis qui fugiant non abesse suspicionem quin scelera commiserint. Scilicet ita est natura comparatum ut nascantur Serbi armati et scelerati, Albanenses vero inermes, insontes, ergo et humanissimarum nationum armata manu egentes.

Schliebitz: *Spero civitas tua quam celerrime renovatum iri tumque vos multo meliores duces, quam nunc habetis, nacturos esse. optimum enim statum vitae puto, cum populi pacem inter se tenent. vale!*

Ego quoque talia fieri posse et spero et confido, tibique pro votis ago gratias.